

& ignis aliquando futuram præuiderat, studiosissimè insculpsit. Ex quo liquet, non solum dignitatis; verum & antiquitatis & necessitatis ordine, has disciplinas, omnibus alijs Artibus & scientijs, homine libero dignis longè antecire. ut enim reliquæ, vel ad usum humanum, vitæque comodiorem sustentationem; vel ad rationis incrementum inuentæ, circa res caducas, subindeq; mutabiles versantur; ita hæ solæ ad omnium hominum societatem, ad quodcunque vitæ genus & institutum perquam maximè necessariæ, in rerum cœlestium, minimeque corruptibilium, certa & infalibi contemplatione versantur. Hinc Regiæ dicuntur, hoc est diuinæ, & ab sublimium, quem habent in speculando gradum, non nisi Regum Heroumq; animis dignæ, quorum, ut sublimior quam cœterorum hominum mens & cogitatio; ita etiam ab iisdem ut plurimum regia mentis acie & studio ornata & exculta, toti mundo primitus innotuerunt. Præ omnibus vero Ptolomæus Aegypti Rex potentissimus, his scientijs quam maximè enituit, qui non modo verè Regio, & diuino mentis acumine cœteris omnibus altiùs, in rerum cœlestiũ contemplatione euolauit; verũ etiam imensis sumptibus, tot tamq; præclara motibus cœlestibus inuestigandis accommodata, excogitauit, suisq; manibus perfecit organa ac instrumenta: inter quæ Planisphœrium, quod nos Astrolabium dicimus, facile primas tenet; cum nihil ferè sit in excelsa rerum cœlestium Maiestate reconditum, quod huius instrumenti, cum beneficio mortalibus non patefiat. Huius Ego Instrumenti cum excellentia quæ Regia est; tum utilitate, quæ immensa est, per motus, eius structuram & usum, tam Astronomicum quam Geometricum, breuibus quidem, sed non minus, facilibus, quam dilucidis Regulis sum complexus, eumque meis Auditoribus, ratione officij, lectionibus publicis sum impertitus: multorum deinde, qui id meum quantumcunque studium, ob compendij facilitatem, quamplurimis, quos operosa volumina deterrent, usui fore putabant, hortationibus victus, tandem opera & impensis, nobilis & integerrimũ